C. In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Cum imperialis providentie clementia omni debeat imperio gubernationi terre presidia. spiritualibus religiosisque tam personis ac ipsorum locis cultus divino

mancipatis. munitius imperiale condecet et presentialius adesse tutam. quatinus religionis suscepte tranquillitas. malignorum hominum nullo quandoque turbari possit incursu. Qua propter noverit presens etas et omnis secutura posteritas. nos claustrum quod dicitur Burnebach

cum omnibus eius personis. rebus et cum universis possessionibus tam cultis quam incultis. quas deo propitiante nunc possidet aut in futurum largitione regum vel principum. concessione pontificum. oblatione fidelium. seu aliis iustis modis. prestante domino poterit adipisci. in imperia-

le tuitione omnimodaque defensatione suscepisse. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. ex dono Billungi de Lindinvels. et Sigebodonis de Zimbera. et Beringeri de Gaminburch. castrum Burnebach cum appendiciis suis cultis et incultis. et villam

Meisinheim. et villa Bietinhusin. Ex dono Arnoldi Maguntini archiepiscopi Aldenburnebach. Ex dono comitis Wolframmi de Wertheim. et fratris eius Dietheri. partem ville Lullingesceeth. et Tulleburnen. et Griezheim. cum ecclesia eiusdem loci. et duo iugera vinearum

in Masbach. Ex dono sororis eorum Adele talentum unum singulis annis in villa Sliebach. Denique quicquid predictis fratribus de Burnebach donatum est vel ipsa sunt mercati pecunia in curia Aldenbibeloz que sita est in Hartdorph. in Hephinheim. in Cella. in Heimbach. et quicquid

eis Billungus de Lindinvels constituit in Berghtazin. quicquid etiam donatum est vel emerunt in curia Lenginvelt. in Barga. in Vissincheim. in Kenninchcheim. et omnia eorum mancipia. Sane quod Romani pontifices auctoritate sacra canonum eis concessere. ut novalium suorum que propriis manibus

aut sumptibus colunt. sive de nutrimentis animalium suorum vel arboribus vel ortis nullus ab eis decimas presumat exigere. hoc ipsum imperiali auctoritate ipsis constituimus firmam et irrevocabiliter perpetuo corroboramus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum

monasterium temere perturbare aut de eius possessionibus auferre. vel ablata retinere. minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare. sed illibata omnia et integra conserventur. eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum

quecumque imperii nostri persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit. secundo tertiove commonita nisi presumptione sua congrua satisfactione rea correxerit. imperialis maiestatis rea cum omnibus que possidet imperii proscriptione dampna-

bilem se fore cognoscat. Ut autem hoc factum apud omnem posteritatem ratum et inconvulsum permaneat. hanc cartam nostre imperialis auctoritatis sigillo insigniri iussimus. et corroborari. Huius autem rei et confirmationis testes sunt. Heroldus Wirzeburgensis episcopus.

Richolfus maior prepositus. Conmagister prius summus decanus. Iohannes scolasticus. et Reinardus prepositus novi monasterii. et Magister Heinricus prothonotarius. Marcwardus de Grunbach. Cunradus de Phirzache. et frater eius Heinricus. Sigebodo de Zimbera et frater eius

Bragebodo. Beringerus de Gaminburc. Comes Pobbo de Wertheim. Billungus de Lindinvels. et alii quam plures.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Christianus imperialis aule cancellarius recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. C. LX. V. indictione terciadecima.

Regnante Frederico Romanorum imperatore victoriosissimo. Anno regni eius terciodecimo. et imperii eius .XI.



Data Wirzeburch. XVIII. K. Iulii.